

X

IN LYCEN

Asclepiadeo-Glyconicus

Extrēmum Tanain sī biberēs, Lycē,
Saevō nupta virō, mē tamen asperās
Porrēctum ante forēs obicere incolīs
Plōrārēs Aquilōnibus.

Audīs, quō strepitū iānua, quō nemus
Inter pulchra satum tēcta remūgiat
Ventīs, et positās ut glaciēt nivēs
Pūrō nūmine Iuppiter ?

Ingrātam Venerī pōne superbiam,
Nē, currente rotā, fūnis eat retrō.
Nōn tē Pēnelopēn difficilem procīs
Tyrrhēnus genuit parēns.

Ō, quamvīs neque tē mūnera, nec precēs,
Nec tīnctus violā pallor amantium,
Nec vir Pīeriā paelice saucius
Curvat : supplicibus tuīs

Parcās, nec rigidā mollior aesculō,
Nec Maurīs animum mītiōr anguibus.
Nōn hoc semper erit līminis aut aquae
Caelestis patiēns latus.